

DE HVIVS EDITIONIS RATIONE

Textum in columnas divisum, non continuum, transcripsi, ut clarius esset lectori quomodo textus servatus est et ut correctiones ac supplementa inter lineas vel in margine ab Anon. addita et autem supplementa editorum paterent. Quae Anon. sua manu delevit in adnotatione tantum describuntur.

Iota mutum adscriptum notavi, si papyrus id exhibet (scil. τῶι, τῇ et sim.), subscriptum, si deest in papyro (scil. τῶ, τῇ et sim.); litterae quae dubiae sunt punctis designavi. Abbreviationes et compendia, in textu resoluta, in adnotatione plerumque descripta sunt, creberrima quidem, in praefatione descripta, non notavi.

Diels utitur signis ¶ ut indicet litteras deletas ab editore, sed etiam a scriba (una cum aliis signis, linea transversa vel punctis suprascriptis): in hac editione signa ¶ significant solum litteras deletas a scriba, sicut hodie consuetudo fert: quam ob rem accomodavi quod Diels adnotavit in singulis versibus.

Testimonia selecta continent non solum auctorum verba quae Anon. descripsit vel epitomavit sed etiam ex aliis fontibus similia, quae discernere potui.

Restat ut gratias agam, pro auxilio et beneficiis quibus collegae et amici me adiuverunt: Fernanda Caizzi, Ivan Garofalo, Vivian Nutton, Amneris Roselli, David Sedley et etiam Isabella Andorlini, Philip De Lacy, Isabella Gualandri, Mario Labate, Gisela Stricker; in plagulis legendis et interpretandis peritissimis gratiam refero Guido Bastianini, Maria Serena Funghi et Herwig Maehler, postremo Daniela Colomo.

Editio emendata et aucta 2021

Plurimas mendas correxī, quas iam viderunt Ricciardetto 2013, 2016 et Leith 2014, et haud paucas lectiones ac supplementa in recentioribus editionibus et studiis, quibus gratias ago, reperi et recepi. Multa etiam mecum reputavi et nonnulla ipsa correxī. Textum dissimilem in R modo notavi ubi necessarium esse existimavi.